

quia occurrere possunt circumstantiæ, in quibus prudens formari potest præsumptio, quod Legislator non voluerit obligare. Atqui in Lege Naturali quoque similes circumstantiæ emergere possunt: nam mutilatio proprii corporis v. g. non censetur cadere sub prohibitione Legis Naturalis in illa circumstantia, quæ supponitur esse necessaria ad proprii corporis conservationem. Ergo &c.

201 Resp. neg. conseq. & probat. minorem. Ratio negandi est: quia Jus Naturæ, cum unum & universale sit in omnibus hominibus, unam eandemque obligationem semper habet, non ex intentione solius Legislatoris, sed quasi ex necessitate Naturæ & exigentia materiæ. Ergo non potest formari prudens præsumptio in ullo casu, quod obligare non velit.

202 At verò Lex positiva fundamentum & vim habet ex intentione solius Legislatoris, qui, si humanus sit, nequit omnes omnino casus in sanctione Legis prævidere & prospicere. Ergo mirum non est, quod, deficienti Legislatoris intentione, Lex desicere incipiat.

203 Hinc exquisitè atque ad rem Card. de Aguirre *Etihica l. 5. cap. 10. num. 8.* „solius primæ causæ est,

„inquit, proprium, quod prorsus immutabilis sit. Creaturæ autem omnes aliquò modo mutabiles sunt, & èdè magis, quò plùs à primæ causæ perfectione distant. Inter ea verò, quæ variationem subeunt, maximè variabiles sunt operationes humanæ, quarum plurimæ unò tempore utiles & honeste sunt, aliò verò redduntur inutiles turpesque, pro diversâ rerum opportunitate circumstantiisque, quas nec homo Legislator universam comprehendere potuit, nec Lex ipsa paucis verbis prolata complecti. Ergo tunc oportet, ut Lex universalis ex bono & æquo corrigatur.

Ad instantiam 204 tiam de mutilatione negatur suppositum, quòd Lex Naturalis prohibeat mutilationem, quando necessaria judicatur ad conservationem corporis: nam mutilatio non prohibetur, nisi quatenus est noxia corpori humano. Cum igitur illa, quæ contingit & ordinatur ad vitæ & corporis totius incolumitatem, corpori noxia non judicetur, ac melius v. g. sit, pedem quam vitam perdere; sanè in tali hypothèsi verita judicari non debet. Adeoquò non tam epikia propria quàm impropria hic confurgit.

CAPUT III.

De Jure Divino positivo.

Juri Naturali succedit Positivum. Hujus varias species recensimus *cap. 1. n. 68.* Prima est Jus Divinum, quod à libera DEI voluntate in ordine ad finem supernaturalem immediatè procedit. Dividitur in Jus Veteris & Novi Testamenti. De illo in prima; de isto in altera *sect.* de utraque tantà brevitate, ut neque superflua immisceantur; neque scitu necessaria prætermittantur.

SECTIO I.

De Jure Divino Veteris Testamenti.

SUMMARIA.

1. Describitur Testamentum. 2. Indigitatur Potius. 3. Inducitur novum. 4. Utriusque largior excenteratio remissivè. 5. Explicatur natura Legum Veteris Testamenti. 6. Sunt libera ordinatio. 7. & seqq. Divina Sapientia. 13. & seqq. Populo Hebræo. 15. & seqq. Per Moysen promulgata. 17. & seqq. Præcipiens ea,

qua ad finem supernaturalem sunt idonea. 19. Per merita Christi venturi consequendum. n. 20. & seqq. Ha Leges alia sunt Morales. 23. Alia ceremoniales. 24. Alia Judicialia. 25. Earum præstantia. 26. & seqq. Obligant in conscientia. 29. & seqq. Durabant usque ad tempus Veteris Testamenti.

§. I.

Definitur Jus Divinum Veteris Testamenti.

1 **T**estamentum, quod Jureperitis *testatio mentis* est juxta *princ. Instit. de Testam. ord.* in præfenti materia ex doctrina Illustrissimi Redingii *q. 1. a. 3. controv. 1. n. 4.* significat univèrsum Divinam promissionem & pactum, cum hominibus initum.

2 Dividitur in Vetus & Novum. *Primo est*

promissio de conferendis temporalibus & æternis bonis populo Israëlítico, ac nacturò ex ipsorum sanguine Christo, facta sub conditione servandarum Legum, per Moysen promulgatarum. *Novum* est promissio, Christo DEO-homini facta de generis humani reconciliatione, gratiâ & gloriâ hominibus

conferendâ, sub onerosâ conditione mortis & passionis subeundæ. Clariss. P. Mezger *Theol. Schol. disp. 3. art. 1. n. 1. & 2.* Utriusque Testamenti volumina, voluminum periochen & auctoritatè pari amantissimè & soliditatè exhibet Clariss. D.P. Cœlestinus Pley in *Basi Universa Theologia seu Fide Divina Quest. Prælimin. art. unic. per 4. §§.*

3 Leges verò, ad quarum observantiam Veteris Testamenti promissio restricta erat, non malè describi possunt, quòd sint libera ordinatio Divinæ Sapientiæ, populo Hebræo per Moysen promulgata, præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem, per merita Christi venturi consequendum, sunt idonea, & prohibeas contraria. Ita quoad rem Gonzalez in *Apparatu f. Can. n. 23.*

6 Dixi I. libera ordinatio. Ut discrimen inter Jus Naturale & positivum Divinum subministrarem, quòd videlicet illud ex necessitate naturæ; hoc ex libera DEI voluntate sancitum sit. Quæ causâ est, quòd Jus positivum Divinum Veteris Testamenti ab Apostolo *Hebræorum cap. 9. §. 19. mandatum* vocetur.

7 Dixi II. Divinæ Sapientiæ. Tamet si enim hæretica sententia fuerit Marcionis & Marcionistarum, uti refert Clariss. D. P. Cœlestinus Pley *Delectus Theolog. p. 1. in eruditissima quest. prælim. n. 70.* DEUM non fuisse Legis Veteris Authorem sed diabolum; imò, narrante Suarezio *L. 9. cap. 2. n. 12.* ex Catholicis Alphonsus Salmeron *disp. 61. & 62.* contendat, Legum Cæremonialium & Judicialium verum conditorem Moysen extitisse; standum tamen est pro sententia contraria, in variis Scripturæ Libris evidentissimè assertâ, veluti *Exod. 20. §. 1.* ibi: *locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus DEUS tuus &c.* *Deuteronomii 1. §. 3.* ibi: *locutus est Moyses ad filios Israël omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis.* *Malachie 4. §. 4.* ibi: *memorate Legem Moysi servum meum, quam mandavi ei in Horeb ad omnes Israël.*

9 Neque reclamat vel illud *Joannis 1. §. 17.* *Lex per Moysen data est; vel illud Matthæi 19. §. 8.* *ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudiij.* Nam in primo textu cum Clemente Alexandrino non obiter ponderandum est, quòd Joannes studiosè dixerit, Legem per Moysen datam, non factam esse; id est, non inventam, sed communicatam & publicatam. In altero supponendum, permissionem libelli repudiij vel dispensativam fuisse, vel solummodo tolerantivam. Si dispensativa; certè Divina auctoritas intervenit, quâ sine dissolvi non potest insolubile

10 matrimonii vinculum. Si tolerantiva, & èdè quidem sensu, quòd minora mala tolerari solent ad evitanda majora, nullâ auctoritate Legislativâ Moyses indiguit: eùm & privatus permittere queat malum, quòd minus est, ut declinet, quòd majus est. Confer. P. Suarez

11 Quæ enim, affirmante Apostolo *ad Rom. 10. §. 4.* *finis Legis Christus ad justitiam omni credenti;* ac *Lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur ad Galat. 3. §. 24.* Sanè omnis sanctitas & perfectio Legis Veteris in Christo, tanquam fundamento, solidata est: sicque Lex Vetus ad spirituales & supernaturalem felicitatem non conduit, nisi mediâ fide in Christum nasciturum. Suarez *d. lib. cap. 3. §. 5.* & *cap. 7. per tot.* Gibalinus *cit. lib. 4. c. 3. q. 2. per tot.* Mezger *ubi supra n. 3. & 4.* & passim Theologi.

d. cap. 2. Gibalinus Scientia Canonica l. 4. cap. 2. quest. 2. Gonzalez d. l. n. 23.

Dixi III. populo Hebræo. Huc namque uni & soli, exclusis Gentibus, Lex Veteris erat posita, docente Scripturâ *Deuteronom. 4. §. 8.* ibi: *quæ est alia gens tam inclita, ut habeat ceremonias justæque judicia, & universam Legem?* Rationem ex S. Thoma profert Gibalinus *cit. loc. quest. 3. n. 1.* quia Gens Hebræa majori præceteris dilectione complectenda videbatur, utpote de ejus sanguine & semine flos ille Nazarenus erat nasciturus. Quod si Gentiles quidam ad Religionem Judaicam transibant, ritibus & Legibus Mosaicis adstringebantur, præmissâ tamen circumfusione *Exodi 12. §. 84.* Magnif. Stadlmayr *de LL. cap. 3. th. 2. in fin.* Indèque erant dicti profelyti, tanquam advenæ in communionem Judæorum adsciti. Gibalinus *cit. q. n. 2.*

Dixi IV. per Moysen promulgata. Nam, ut refert Gentium Doctor *ad Gal. 3. §. 19.* *Lex antiqua ordinata est per Angelos in manu mediatoris, Moysis scilicet, & hinc Mosaicâ dicta, non quòd Moyses Legislator, sed promulgator; non Author, sed præco fuerit illius Legis, quam à DEO Angelorum ministerio acceperat.* Magnif. Stadlmayr *de LL. cap. 3. th. 2. in fin.* Facta est autem hæc promulgatio juxta calculum Emmanuelis Gonzalez *cit. l. n. 24.* Annò mundi conditi 2544. quartæ ætatis primò, die 6. mensis tertii, in monte Sinai, prout exactissimè & prolixissimè ab ipomet Moysè tota rei series describitur *Exodi 19. 20. & seqq.* Videatur Gibalinus *d. l. 4. cap. 2. q. 4.*

Dixi V. præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem sunt idonea &c. Finis itaque Testamenti Veteris non fuit temporalis, sed supernaturalis; & quidem ultimatus æterna felicitas; proximus verò & immediatus institutio & eruditio populi Hebræi in iis, quæ partim ad naturalem morum honestatem justamque politiam spectant, partim ad Divinum cultum ac Religionem pertinent, quatenus hòc mediò spirituales & supernaturalem beatitudinem compararet. Suarez *d. l. 9. cap. 3. n. 3. & 7.* Gibalinus *d. cap. 2. q. 7. num. 3. & 4.* Et ideo Lex antiqua in *Psal. 18. §. 8.* *Lex immaculata, convertens animas &c.* *ad Rom. 7. §. 12. & 14.* *Lex sancta, Lex spiritualis; Actor. 7. §. 39. Verbum Vita, nuncupatur.*

Dixi VI. per merita Christi venturi consequendum. Quia enim, affirmante Apostolo *ad Rom. 10. §. 4.* *finis Legis Christus ad justitiam omni credenti;* ac *Lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur ad Galat. 3. §. 24.* Sanè omnis sanctitas & perfectio Legis Veteris in Christo, tanquam fundamento, solidata est: sicque Lex Vetus ad spirituales & supernaturalem felicitatem non conduit, nisi mediâ fide in Christum nasciturum. Suarez *d. lib. cap. 3. §. 5.* & *cap. 7. per tot.* Gibalinus *cit. lib. 4. c. 3. q. 2. per tot.* Mezger *ubi supra n. 3. & 4.* & passim Theologi.

§. II.

Assignatur Obiectum Juris Divini Veteris.

- 20 **O**bjectum Juris Divini Veteris pro triplici præceptorum classe triplex est. In prima classe reponuntur præcepta Moralia seu Naturalia, quorum materiam in cap. 2. sect. 2. latè deducam reliquimus. Reponuntur verò, & reductur ad præcepta Divina gemina
- 21 **ex causa.** Prima est; quòd, licèt Naturalis Juris notitia nobis congenita, ac cum ipsa rationali anima sit infusa, Divinà nihilominus illuminatione fuerit opus, ad manifestanda Juris Naturæ capita, posteaquam rationis lumen, per originale peccatum magnà caligine obductum, de humanarum actionum bonitate vel malitia sinistrum sæpe judicium tulit. D. Thomas apud
- 22 P. Suarez d. l. 9. cap. 4. n. 19. Altera est, ut populus Judaicus, cui eloquia DEI sunt credita Rom. 3. v. 2. per observantiam præceptorum Naturalium majori puritate disponeretur ad Christum, ex Judaica progenie nascentium. Reding *supra cit. contrav. 2. n. 8. & 9.*
- 23 In secunda classe numerantur Præcepta Cæremonialia; quorum obiectum erat Divinus cultus, ritè institutus, per Sacramenta circumcisionis, agni Paschalis &c. per Sacrificia, victimas & holocausta; per sacra seu
- res, instrumenta, & vasa, Divino cultui deputata; per obsequia peculiaris, festa, jejunia, abstinentiam à certo genere ciborum &c. Suarez d. cap. 4. num. 25. Mezger d. art. 1. n. 6. & 10.
- Ad tertiam classem pertinent præcepta Judicialia, quæ circa regimen politicum, in Hebræa Republica tenendum, versabantur. Solent à scripturistis in quatuor ordines dispesci. I. continet officia Principium & subditorum; II. officia, commercia, & jura civium inter se; III. officia & jura Civium versus extraneos; IV. privatam cujuscumque patrisfamilias œconomiam & domesticam gubernationem. Mezger *cit. loc. n. 1.* & communiter SS. Literarum Interpretes.
- Porrò tam nobilia & exquisita hæc veteris Legis præcepta vel ipsi Ethnicis videbantur, ut antiquioris Philosophiæ & Politicæ principia maximam partem ex illis Legibus emendicata & repetita fuisset, ex Clemente Alexandrino, Tertulliano, & aliis scriptoribus luculenter ostendat Gibalinus d. l. 4. cap. 3. quest. 3. num. 29. Et utinam genuinè & sincerè petita, neque tot fabulis & figmentis corrupta fuissent!

§. III.

Ostenditur Effectus & duratio Juris Divini Veteris.

- 26 **Q**uòd principalis Legum effectus sit obligatio in conscientia, dictum est in cap. 1. num. 219. Hunc eundem effectum à Jure Divino Veteri productum fuisse, docemur ex illo Deuter. 6. v. 1. hac sunt præcepta & cæremonia, atque judicia, quæ mandavit Dominus: tum ex illo Matth. 5. v. 17. Non veni solvere legem, sed adimplere. Et ratio est: quia DEUS utique potuit obligare in conscientia, uti in cit. cap. 1. n. 220. jam animadvertimus est. Voluit etiam obligare: cum Leges præceptivas non tantum conceperit, sed etiam per Moysen jusserit promulgari. Ergo &c.
- 28 Sed quanta, quamve rigorosa fuerit hæc obligatio? Nolim hic ventilare. Dicta sunt aliqua in d. cap. 1. §. 6. Quæ si animum, pluræ de hac materia obsoleta sciendi cupidum, necdum fatiant, poterit legi Suarez d. l. 9. cap. 6.
- 29 Ita verò obligatio, quam secum ferebant Leges Veteres, non erat perpetua, sed ad tempus solummodò Veteris Testamenti vim suam exerebat. Nam, quia Testamento Veteri, ceu umbræ & figuræ, per Christum sub-
- stitutum est Novum, velut Lux & Veritas; Novæ quoque Leges Veteribus per Evangelium succedat, & illæ unà cum Testamento suo deletæ sunt per cap. un. de Paris. post partum non quidem ab initio statim adventus DEI hominis, sed à tempore mortis in monte Calvarie, quando Cruci affixus DEUS exclamavit: consummatum est, velò templi mox in partes scissò. Sic docet, & discurrit Legis Novæ subtilissimus Præco D. Paulus ad Hebræos 9. v. 16. ubi Testamentum est, mors, necesse est, intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.
- Neque turbare debet, quòd præcepta Moralia sint Naturalia, quæ nullam temporis aut ætatis metam pro sua duratione agnoscunt. Enimverò Moralia præcepta in hodiernum usque diem cum obligatione sua persisterunt, non tamen ex vi Legis Mosaicæ, sed ex virtute Legis vel Naturalis, vel etiam Divinæ, in Novo Testamento confirmatæ. Stadlmayr d. cap. 3. th. 4. Reding d. q. 15. art. 3. contrav. 3. n. 6.

SECTIO II.

De Jure Divino Novi Testamenti.

SUMMARIUM.

32. Explicatur Natura Legum Testamenti novi. & seq. Per Verbum Incarnatum. 36. Annuntiata. 37. In die Pentecostes promulgata. 38. & seq.
33. Sumi libera ordinatio Divina Sapientia. 34.

& seq. Per Apostolos predicata. 40. & seq. Præcipiens ea, quæ ad statum gratiæ & gloriæ conducent. 42. Non versantur extra materiam fidei & Sacramentorum. 43. & seq. Hæc rei veritas & sensus amplius declaratur. 48. & seq. Distinguitur subiectus, unacumque dignoscere liceat, quid Jure Divino novo constitutum sit? 52. & seq. Commendantur tradi-

tiones. 55. Lex Divina nova obligat in conscientia. 56. Incipit in die Pentecostes. 57. Durat ad consummationem sæculi. 58. & seq. Fundamenta illorum, qui tenent, illam à S. Pontifice mutari posse per dispensationem. 63. & seq. Fundamenta contraria. 72. & seq. Præra referantur. 77. Epikiam impropriam non dedignantur.

§. I.

Descriptio Juris Divini Novi.

- 32 **J**us Divinum Novum describo, quòd sit libera Ordinatio Divinæ Sapientiæ, per Verbum Incarnatum annuntiata, in die Pentecostes promulgata, ac per Apostolos universo mundo predicata, præcipiens ea, quæ pertinent ad statum gratiæ in præsentia, & gloriæ in futuro, ac prohibens contraria.
- 33 Dixi I. libera Ordinatio Divina Sapientia. Sane admirabilis & salutaris: quia plena gratia & veritatis. Joannis 1. v. 15. Non in Timore, sed Amore fundata apud D. August. *Jugum suave, & onus leve. Matth. 11. v. ni.*
- 34 Dixi II. per Verbum Incarnatum. Nam Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Christum. Joann. 1. v. 17. Quem ab æterno Patre Judicem, Legisferum, & Regem nostrum constitutum esse, prævidit Ilias cap. 33. Et
- 35 ideo à Concil. Trident. Sess. 6. cap. 21. sub anathemate damnatus est error Calvini in verbis: si quis dixerit, Christus JESUM à DEO hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fideant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathematis sit.
- 36 Dixi III. annuntiata: totò videlicet triennio, quò DEUS-homo post baptismum Joannis & quadragesimale Jejunium transibat, compita, vicos, pagos, templa, civitates, predicandò, docendò, sanandò, miraculò, patrandò.
- 37 Dixi IV. in die Pentecostes promulgata. Equidem à tempore ignominiosæ mortis Salvatoris nostri Testamentum Novum valere occipit ex num. 29. adeoque & Leges Novi Testamenti: ultimum tamen complementum addidit solennis promulgatio, in die Pentecostes unà cum missione Spiritus Sancti facta, quando Apostolorum Primas, non nullò, uti falsò credebant Judæi, sed Spiritu Sanctò repletus in prima Concione mandabat: penitentiam agite, & baptizetur unusquisque ve-
- strum in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum &c. Act. 2. v. 38. Mezger d. disp. 33. art. 3. num. 4.
- Dixi V. ac per Apostolos universo mundo prædicata. Ergo Lex Divina Evangelica non ad certam Nationem, instar Mosaicæ, directà; sed, in modum Naturalis, omnibus Gentibus proposita, per omnes angulos orbis diffusa ac propagata est, conformiter justis & voluntati Divinæ Matthæi & Marci ult. ibi: euntes ergo docete omnes Gentes; &: euntes ergo in mundum universum, predicatè Evangelium omni creatura. Dilatata ita Evangelio, Lex Divina Nova in actu secundo efficaciter obligavit, omnes ad sui observantiam, quotquot prædicationis noticiam adepti sunt. Qui enim crediderit, ait Divina Veritas cit. loc. & baptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur. Videatur Suarez Lib. 10. de LL. cap. 4. à num. 16.
- Dixi VI. præcipiens ea, quæ ad statum gratiæ &c. In quibus verbis excellentia & præstantia Juris Divini Novi præ Veteri relucet, dum illa non solum jubet præcipiendò, uti ista; sed etiam juvat, gratiam & auxilium inspirandò, ac suaviter & fortiter ad beatitudinem supernam perducendò. Quem in finem per Legem Novam influtura sunt Sacramenta, quæ ex se & sua virtute vim habent, producendi gratiam, sicut ex Concil. Trid. Sess. 7. 13. & 14. certum ac definitum agnoscunt, Catholici. Hæcque collimant variè. Apostoli testimonia ad Rom. 1. v. 16. ibi: Evangelium est virtus DEI in salutem omni credenti. I. ad Cor. 15. v. 1. ibi: novum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, per quod & salvamini. Legantur Bellarminus lib. 4. de Justificat. usque ad cap. 6. Suarez d. l. 10. cap. 5. Reding in Concil. Trid. Sess. 7. art. 5. sect. 3. cap. 4. per totum.

§. II.

Obiectum Juris Divini Novi.

- 42 **V**etus axioma Theologorum fuit: Jure Divinò Novò ne ullum quidem præceptum novum extare, extra materiam Fidei & Sacramentorum. Covarruv. in 4. Decretal. cap. 6. §. 10. in princ. Soto in 4. dist. 40. art. 4. Suarez d. l. 10. cap. 2. num. 20. Fagnanus in 4. cap. cum esset de Testam. num. 119. Sensus axiomaticus est, dari quidem in Lege Nova non P. SCHMIEK JURIS. CAN. CIV. TOM. I. M. explic.
- paucæ præcepta moralia, ea tamen nova non esse, sed in antiquo testamento jam quoad substantiam in decalogo fuisse contenta; in novo autem ab Incarnata Veritate in individuo magis magisque determinata, dilatata, & declarata. Sic enim præceptum de proximo diligendo jam erat contentum in Decalogo Legeque Naturali; sed ita renovatum, &

explicatum, & ampliatur fuit à Christo, ut non tantum amicos, sed etiam inimicos diligere iusserit, juxta illud *Matthai* 5. 44. *ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Qua in re consulti potest Gibalin. *Scientia Canon. lib. 4. cap. 5. q. 2. per tot.* ubi pereruditè discurrèdo per singula Evangelii præcepta demonstrat, illa jam in decalogo præconata fuisse.

45 Itaque peculiaris novæ Legis præcepta versantur circa materiam fidei & Sacramentorum. Et quidem DEI revelatione singulariter excellit Mysterium SS. Trinitatis; Mysterium admirabile & ineffabile Incarnationis Domini nostri JESU Christi; Mysterium salutiferæ spei de remissione peccatorum & ingressu in regnum Cælorum, statim post mortem nostram aperiendū, si peccatorum impedimenta jam sublata esse supponantur. In materia Sacramentorum habemus largissimum Divinæ gratiæ fontes, Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: in quorum administratione ex ipsomet opere, ut ajunt, operato, citra meritum & respectum operantis, supernaturalis & Sacramentalis effectus confertur. Conatur quidem Eximius Suarez *cit. l. à num. 6.* ostendere, liberà DEI revelatione supposità, tam Fidei quam Sacramentorum instituta in principis naturæ radicari; sed habet dissentientem sibi post alios Illustrissimum Reding *de LL. q. 15. art. 3. contr. 5. num. 9.*

46 Undenam verò colligi possit, an iste vel ille articulus sit Juris Divini novi? Responso in promptu est. Nempe ex Libris Testamenti Novi, Evangelii, Actibus & Epistolis Apostolorum, Apocalypsi S. Joannis &c. 47 ubi tamen advertendum est, sicut in Evan-

gelio non mera præcepta, sed multa suppetunt consilia; ita in reliquis libris aliqua extare præcepta, quæ non immediatè à DEO, sed Apostolis sancita sunt. Tale est illud *1. Timoth. 3. 2.* de non ordinandis bigamis. Tale est illud *Act. 15. 20.* de abstinèntia, à sanguine & suffocato tenendâ. Gonzalez in *apparatu Juris Canon. n. 26.* P. Pirhing in *proem. Jur. Can. n. 13.* P. Reiffenhuël *ibid. n. 26.* Clariss. P. Guetrather *Instit. Jur. Can. lib. 1. tit. 2. §. 1.* Tunc autem ejusmodi præcepta Divini Juris esse censentur, quando hæc vel similia verba reperiuntur: *Dominus ordinavit; non ego dico, sed Dominus; ego accipit à Domino, quod & tradidit vobis &c.* P. Engelad *tit. de Constitut. n. 6.*

Interim apud Catholicos plusquam eersum habetur, non omne, quod scriptum in SS. paginis non exhibetur, à Conditorè Legis Evangelicæ dictum aut factum non fuisse: nam, ut Evangelistarum Aquila per modum epiphonematis in *cap. ult.* Evangelii sui posteris consignavit, *sunt et alia multa, quæ fecit JESUS; quæ, si scribantur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scribendū sunt, libros.* Ut adeo, si continua Ecclesiæ traditio, per SS. Canones, Concilia, & PP. firmata, quidpiam pro Lege Divina susceperit, perinde sit agnoscendum, ac si Bibliis sacris insertum legeretur, ad mentem & momentum Apostoli 2. ad *Thessalonicens. 2. 7. 14.* scribentis: *itaque fratres scite, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Eaque traditio D. Hyp-

48 ponensium Præfultū tam æstimata fuit & ponderosa, ut, attestante P. Engel ad *tit. de Consuetud. n. 3.* Evangelio non creditisset, nisi Ecclesiæ movisset autoritas. Conferatur Gonzalez in *cit. apparatu n. 10.* & Clariss. D. P. Celestinus Pley de *fide Divina p. 2. q. 9. primò. per tot.*

§. III.

Obligatio & mutatio Legis Divinæ Novæ.

55 **L** Ex Nova obligat in conscientia ad actum, si non quidem respectu DEI, qui, quod liberè statuit, liberè revocare potest; sed respectu hominis, & in specie S. Pontificis? Quæstio in utramque partem controversa est. Sunt enim, qui S. Pontifici potestatem adstruant, in Jure Divino Novo quoad unum aut alterum casum particularem ex causa rationabili & prægnante dispensandi. Inter hos numerantur Panormitanus in *cap. proposuit 4. de Concess. præb. num. 2.* Felinus in *cap. quæ in Ecclesiæ n. 7. de Constitut. num. 19. & seqq.* Decius ad *idem cap. num. 25. & seqq.* Sanchez *lib. 8. de Matrimoni. disp. 6. num. 5. & 6.* & alii, ab his allegati. Ducunt sequentibus motibus. I.

56 Tempus, quod obligatio isthæc initium sumpsit, in §. 1. *num. 2. & seqq.* determinatum est. 57 Tempus, quod finem accipiet, est finis & interitus mundi. Nam *Baruch 2. 4. 35.* promittit æterna DEI providentia: *statuam illis testamentum æternum sempiternum, hoc est, duraturum usque ad consummationem hujus sæculi, juxta interpretationem Matthi 24. 7. 14.* ibi: *prædicabitur hæc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Et *Matth. 28. 7. ult.* *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

An Jus Divinum Novum mutationis capax sit, non quidem respectu DEI, qui, quod liberè statuit, liberè revocare potest; sed respectu hominis, & in specie S. Pontificis? Quæstio in utramque partem controversa est. Sunt enim, qui S. Pontifici potestatem adstruant, in Jure Divino Novo quoad unum aut alterum casum particularem ex causa rationabili & prægnante dispensandi. Inter hos numerantur Panormitanus in *cap. proposuit 4. de Concess. præb. num. 2.* Felinus in *cap. quæ in Ecclesiæ n. 7. de Constitut. num. 19. & seqq.* Decius ad *idem cap. num. 25. & seqq.* Sanchez *lib. 8. de Matrimoni. disp. 6. num. 5. & 6.* & alii, ab his allegati. Ducunt sequentibus motibus. I. 59 est ex textu *Matthi 16.* ubi absoluta & illimitata potestas Summo Pontifici conceditur, quodcumque vinculum aut ligamen dissolvendi. II. est ex *cap. inter corporalia 2. 60 de Translat. Episcopi*, ubi Innocentius III, dilu-

cidè

cidè proponit, matrimonium, quod est Episcopum inter & Ecclesiam, Jure Divino colligari; & tamen expressè fatetur, Apostolicæ Sedi potestatem adiacere, tale matrimonium 61 solvendi.

III. est ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, quæ sæpius in matrimonio rato, voto, juramento, aliisque obligationibus, 62 Jure Divino constitutis, dispensavit. IV. est ex ratione: quia Benignissimus DEUS Ecclesiæ suæ illam potestatem tribuisse censetur, quæ moraliter erat necessaria ad rectam & convenientem fidelium gubernationem. Sed potestas dispensandi in Lege Divina moraliter est necessaria ad rectam & convenientem fidelium gubernationem: nam casus aliquoties evenit, & deinceps evenire potest, in quo dispensatio, in Jure Divino petita, ad majus Ecclesiæ bonum procurandum, vel ad majus malum evitandum, erat necessaria. Ergo &c.

63 Sed contraria opinio tam DD. præsertim Modernorum, numerò, quam rationum pondere prævaluit. Numerum DD. pandunt Covarruv. in 4. *Decretal. cap. 2. cap. 6. §. 9. n. 4.* Suarez de *LL. lib. 10. cap. 6. n. 7.* Reding de *LL. q. 15. art. 3. contr. 6. n. 3.* Barbola *I. E. V. cap. 2. n. 119.* Rationes sunt hæc. I. Nequit inferior Legislator tollere vel mutare Jura Legislatoris Superioris, *Clem. ne Romani 2. in pr. de Elect.* Ergo neque Lex Divina tolli aut mutari potest à S. Pontifice.

64 Neque dicās: Episcopus esse inferiores Summo Pontifice; & tamen ex causa rationabili & urgente, quando recurrit ad S. Pontificem est difficilis aut impossibilis, juxta 65 communem DD. in Lege Pontificià dispensari posse.

Nam hoc ipsò, quòd Episcopi tunc solum in Lege Pontificià dispensare possint, quando subest urgens & rationabilis causa; consequens est, Pontificem in Lege Divina dispensare non posse: quia urgens & rationabilis causa subesse nequit. DEUS quippe, qui non tantum eventus futuros æternam suâ præscientiâ comprehendit, sed ipsemet futurorum contingentium author est, ad omnes omnino casus Leges suas positivitas, sicuti Naturales, de quibus in *n. 201. & seqq. cap. 2.* extendit: sicque non est dabilis circumstantia, quam DEUS non prævidisset, aut Legi subducere voluisset, censendum est.

66 II. ratio. Illa potestas non competit Ecclesiæ, quam ipsimet Pontifices Ecclesiæ negant competere. Atque potestatem in Lege Divinâ dispensandi negant ipsimet Pontifices, Ecclesiæ competere. Nam in *cap. sunt quidam 6. XXV. q. 1.* Urbanus Papa sic effatur: *ubi aperit Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter aliquid definiunt, ibi non novam Legem Romanam Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Propheta, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare 67 convinceretur.* In *cap. contra statuta 7. ead.* ait Zolimus Papa: *contra statuta Patrum (in-*

tellige, quæ Jus Divinum declarant) condere aliquid, nec hujus quidem Sedis potest. *Authoritas.* In *cap. omne quod 8. ead.* dicit Marcellinus: *nec 68 quidquam, quod contra Evangelicam vel Prophetica aut Apostolica doctrina confirmationem successorumve eorum, sive Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit.* In *cap. prima 9. ead.* Hormisdà in *69* quit: *prima salus est, recte fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* In *cap. literas 13. de Restit. spoliis.* decernit In *70* nocentius III. mulierem, quæ scit inter se & maritum intercedere impedimentum matrimonii, Jure Divino introductum, nec tamen probare potest, etiam à Sede Apostolica jubeatur, marito se committere, debere potius excommunicationem sustinere, quam sententiæ parere. Ergo potestas dispensandi in Jure Divino non est penes Pontificem Maximum.

III. ratio. Potestas dispensandi neque potest 71 sibilis est ex parte Ecclesiæ, neque utilis. Non primum: quia vel DEUS vult in omni casu Legem suam obligare; vel non vult? Si vult; frustra Legis vinculo ab humana potestate exiit, qui Divinâ Autoritate manet ligatus. Si non vult; superflua & inutilis est dispensatio, utpote quæ Legis obligationem præsupponit. Non secundum: nam datâ, vel semel dispensatione, recludetur janua, mille dispensationes indulgendi; & sic neque unitas Ecclesiæ in præceptorum & doctrinæ unione concors perennare, neque Divina Lex ad finem mundi durare poterit.

Motiva in *num. 59.* adducta non movent. 72 Primum ex textu *Matthi 16.* probat nimium; totam videlicet Legis Evangelicæ Summam Pontifici potestatem subverti posse: quod nec Apostolus admittunt, nec, salva Fide, admittere valent. Probat ergo nihil quoad intentum contrarium, sed solummodo eommonstrat, ea, quæ sunt à Pontifice circa propriam materiam in terris, rata & grata haberi in Cælis. Propria verò materia non sunt Con- 73 stituciones & Ordinationes Divinæ, sed actiones hominum voluntariæ, circa quas tam amplâ potestate gaudet S. Pontifex, ut earum obligationes non tantum in foro fori, sed etiam in foro poli aut ligare, aut solvere valeat, prout in præfati solidissimè pro sua consuetudine ponderat *cit. Illustriss. Reding n. 7. & seqq.* & jam supra *cap. 2. à num. 179.* expensum est.

Secundum motivum P. König ad *tit. de 74 Translat. Episcopi num. 3.* invertit, ac dicit, spirituale matrimonium, quod habet Episcopus cum sua Ecclesia, mediatè solum & originaliter, non formaliter & immediatè à DEO stabilitum esse, in quantum Ecclesiæ facultatem disponendi de Episcoporum & Prælatorum juribus & obligationibus concessit.

Deinde respondet Bel- 75 larminus, quem citat Gonzalez in *cap. cum ex illo 1. cit. tit. num. 16.* quòd duplex matrimonium contrahat Episcopus, unum cum Ecclesia universali; alterum cum Ecclesia particulari. Primum, ait, Divinâ ordinatione factum 76 est.